Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2435
Quelle:
Copyright:

quarum prima de Poenitentia, secunda de Contritione et Confessione, tertia de Satisfactione tractat. Initium est: *Quoniam prouida solertia est iugiter meditari necessaria ad salutem* &c. Finis: *Et hec ad presens sufficiant de predictis. Explicit breuiloquium de penitencia.* Neque hujus Tractatus Autorem deprehendere licuit.

Octavum Opusculum ἀκεφαλον est, sed in Elencho Codicem praecedente inscribitur: *Tractatus Magistri Hainrici de Oyta de articulis fidei et de sacramentis.* Incipit vero *fol.* 166. p. 2. *Postulat a me vestra dilectio, vt de articulis fidei* &c. et finit: *Ad quam gloriam nos perducat qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum Amen.* Henricus de *Oyta*, aliis *Euta*, *Otta* &c. Friso, mortuus apud nos an. 1397. de quo videri potest *Scriptor. Univ. Vien. Pars. I. Sec. I. p.* 58. fuit quidem, Trithemio *de Scriptt. eccl.* C. 687. teste, *gymnasii Wienensis in Austria unicum decus et complantator* (cum Henrico de Hassia) *a principio*, non tamen autor hujus Opusculi, quod *Thomae Aquinati* cum in Collectione variorum Tractatuum *Aug. Vindel. à Günth. Zainer* circa 1473. f. editorum, tum in edit. *Opp. omn. Romae* 1570. T. XVII. p. 61. f. adtribuitur.

Opusculum nonum rursus ἀκεφαλον in *Elencho* adpellatur: *Dyalogus Magistri Mathei de Cracouia de sacramento altaris.* Incipit *fol.* 174. hac ratione: *Multorum tam clericorum quam laycorum querela non est modica* &c. Finit vero: *ad quam consequendam pro viatico datum est nobis corpus domini nostri Jesu christi Qui cum patre et spiritu sancto* &c. Editum est cum *s. l.* et *a.* 4. tum *Memmingae* 1491. et 1494. item *Parisiis* 1497. titulis paullum diversis: *utrum deceat Sacerdotes continuare Missas, vel laicos frequenter communicare. De accedendo ad altaris Sacramentum* &c. De Autore non Polono sed Pomerano ex Prosapia de Krokow, mortuo 1410. episcopo Wormatiensi confer praeter *Trithemium* c. 654. *Fabricii Biblioth.* T. V. p. 48. et *Bob. Balbini Bob. doct.* ex edit. Cl. *Raph. Ungar.* P. II. p. 284.

Opusculum decimum, cujus titulus iterum in *Elencho* quaerendus est, ibi inscribitur: *Magister Hainricus de Hassia de contemplacione*, incipitque *fol.* 185. his verbis: *Anima mea noui semper quod curiosa sis rimando que foris sunt* &c. finit vero: *intelligas rerum originem, ordinem, et te media earum mirifica in finem vltimum reductionem.* Prodiit opera *Jac. Wimphelingii Argent.* 1504. 4. post editionem Sec. XV. *s. l.* et *a.* pariter in 4. quae titulum praefert: *Speculum anime seu Soliloquium.* Item in *Orthodoxographis J. J. Grynaei* p. 1607. Autor est non Henricus ille *junior* de Hassia Carthusianus, sed Henricus cognomine *de Langenstein* gymnasii Viennensis, ut passim audit, *Plantator*, ibique anno 1397. vivis exemtus, cujus res post *Trithemium* c. 684. et *Fabricium* T. III. p. 216. habes

P.